

utriusq; interim amplius cogitemus. Ipse faciet, quod bonum
erit in oculis suis. De rebus nostris cognoscas, satis ex duobus
alumnis nostris Enocho Himmelin et Bartholomaeo Cyppe
juvenibus modestis et non indoctis, quos meo et aliorum con-
silio Illustrissimus noster superiori anno Genevam misit,
ut D. Bezae audent, nunc, quod loca illa bellis infecta
sint, Wittenbergam studiorum causa mittit. Los tibi ac D.
Pierio majorem in modum commendo observandos et
juvandos. Accipe tertiam partem Explicationum Cate-
cheticarum de Sacramentis et boni consule. Vale mihi
D. Salamini. Dominus laboribus tuis benedicat. Heidel-
berga 4. Nonas Aprilis 1591.

D. Martino Lydio, Professori Francoeveranae
Academid.

789/
S. Dabis mihi veniam, humanissime D. Lydi, quod sero ad
epistolam tuam respondeo. Illam enim sero post mundinas ve-
nales accepi, nec interim occasio commoda isthuc scribendi se
obtulit. Grata autem fuit pristina illi in me tua benevo-
lentia declaratio et iudicium humanitatis plenum de me
meisq; studiis: quae video quidem à multis bonis approbari, non
tam, quod laudem mereantur, quam quod excitare ea in me
cogitent: et ita sane ex quoque tuum probè interpretor.
Vixum est deo et superioribus nostris in Septimum jam annum
opera mea uti in eà schola, in qua aliquando discipulus tuus fui.
Quam sit provincia ardua, nosti; quam mihi gravis, expe-
rior magis ac magis: invalescente indies luxu juventutis et
petulantia. Ad aliquid scribendo conandum, malitia tyro-
phantarum quorundam me adegit: ac mihi tamen magis
quam mihi conatus displicet. Suave Amicorum Biblia no-
tis illustravi. Hoc studium meum quomodo Adversarij acce-
perint

225
perint, nōsti. Ex aula injuncta mihi fuit apologia; quam au-
divi p̄us non displicuisse: Adversarius verō satis molestant
fuisse reipsā experior. Ex omnibz n. angulj attrahatur, et
parēus ut falsarij traducitur. Sed parata est criminis de-
pulsio. Triumphabit veritas. Letis tibi mitti apologia exem-
plar. At distracta sunt omnia: et typographj quidem spem
fecit ejus recadenda: Sed hucusq; moram trahit. Prodit nunc
prima pars triumphj Biblici: quam fortasse, per librarior
accipies. Nam hujus quoq; nullum exemplar Heidelberg.
sum extat. Sponde verō exemplum tibi mitto. Quae Huberj
opposuit, indigna sunt responsione, ~~ne~~ melius quā silentio
refutari tales calumnias possunt. Quodrit nebula ille Anta-
gonistam, me praesertim, quem laceffit ubiq; gravij; Sed
nolo certare cum furioso asino. Explicabitur verō doctrina
à me ex professo in alterā et tertia parte Triumphj Bibli-
ci: quae duae partes etiam nunc prodissent, nisi prima pars
Explicationum Catechetiarum me impedivisset. Paro etiam
nunc responsum ad libellum ejusdem farinae valde maledi-
cum Lutheravorum Ambergerisium: quod prodibit volente
Deo, proximis nundinis. Omnes hae odiosae istas scriptio-
nes fugiunt. Itaq; ego gravor. Sed perturbato semel hoc
argumento, tollam deinceps manum de tabulā, nec pa-
tiar me in studiis utilioribz diutius impediri. (Crelly noster,
quod scire cupis, extinctus est a. d. 2. Novembr. 1590. apo-
plexia biduana, quam probabile est intemperantiam bily,
quā nimis frequenter ebulliebat, ei conciliasse. Eodem mense
d. 19. Clariss. Theologj D. Hieronymj Zanchij can. Heidel-
bergam ad viduam Crelly juvandam venisset, placidissime
obit. Angli quidem ediderunt Erasti theses. et D. Beza

responsionem suam opposuit. Cur vero existimem Ursiniana
 scriptum vernaculum hoc tempore emittendum non esse, multa
 et manifesta causa sunt, crescentibus in dies tot libris in Ec-
 clesia. Et quod tibi in aurem: Ursiniana hic multis sordet
 etiam per palam. Xpian: neq. nos, qui illa retinemus, omni-
 bus placeamus: praesertim in doctrina de justificatione et repro-
 batione, in qua quid d. *ΑΡΚΤΟ* senserit et docuerit in
 schola, non ignoras. Non probabat justitiam ex tribus consta-
 tam partibus: et triplicem illam imputationem: quam qui tra-
 dant, non noverat. Loquebatur simpliciter cum Scriptura: Nos
 justificari sanguine Christi: et justificationem esse remissionem
 peccatorum. Per sanguinem vero et mortem, non ut qui-
 dam male acceperunt, extremum tantum passionis actum, sed
 universam humiliationis obedientiam synecdochice intellexit.
 De altero capite distinctius loqui solebat: Deum reprobasse
 quidem à gratia, quos voluit, absolutam voluntate et evocasse.
 Destinasse vero ad mortem et damnationem non nisi pro-
 pter peccata, ut sit justus non in decernendo minus, quam in
 exequendo. Ut enim nunc exequitur, ita exequi ab aeterno
 decrevit. Sic Deus se declaravit in verbo: et sic facilius ob-
 viam itur illis, qui hodie justitiam Dei suggillant. Sed hoc tu
 rectius. Vale Vir doctissime. et me ama. Heidelbergae 9. Sept.
 1591.

182)

M. Davidi Pareo Petrus Calaminus S. P.
 Inaudiavi aliquid de interstinis vestris odiis et simultatibus, eam
 ex re justum dolorem percipi. Optarem citò e medio vestri
 removeri eos, qui vos turbant. Obscurè quidam ad me aliquando
 scripsisti; sed cuperem omnem rem cognoscere, ut te apud alios
 si usus veniret, excusare possem. Deus auctor omnis boni, vos in
 via pacis et veritatis conservet, propter suam gloriam et
 Ecclesiam.